Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Tractatus ascetico-theologicus de conscientia erronea - Cod. Ettenheim-Münster 75

Cartier, Jean-Baptiste

[S.l.], 1733

§4

urn:nbn:de:bsz:31-108631

Visual Library

in rebus dubiis Mariam cogita, Mariā invoca; ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsā tenente non corruis, ipsā protegente non metuis.

§. 4tus
Scrupulorum animosa pugnatio.

Quartum remedium est, ut Scrupulosus operetur contra scrupulum seu conscientiam scrupulosam, hoc enim non solum licitū est, sed quandoqꝫ necessarium, ut communiter docent Doctores. Licitum quidem, Quia cum conscientia scrupulosa seu Scrupulus sit quoddam dictamen improbabile ac certo moraliter falsum; cum futilibus dumtaxat rationibꝫ fulciatur, sequitur manifestè, quod ei oppositū judicium sit certò moraliter verum. v. g. Scrupulus dictat horas canonicas denuo repetendas esse: hoc dictamen, eo quòd nullō fundamentō nitatur, est improbabile, ac certò moraliter falsum; ergo eius oppositum, nempe prædictas horas nautiquam repetendas esse, erit certò moraliter verum, cui inhærere omnino li-

citum est; quin et laudabile; quia sapientis ac prudentis est agere ex gravibus motivis, minimè verò ex frivolis rationibus.

Quòd autem quandoq; necesse sit contra conscientiam scrupulosam operari, facilè constat ex dictis; quia nimirum nisi scrupulosus id faciat, sæpe versatur in manifesto tam capitis ac sanitatis, quàm æternæ salutis periculo. Est itaq; aliquando necessarium scrupulis actualiter reluctantibus se se opponere non solùm negativè illos contemnendo, et mentem ad alia divertendo, sed etiam positivè contra agendo: sic si tibi dictat scrupulus expuendo in loco sacro in terram, te peccare expue sæpiùs de insdustria, hôc enim modò clavus clavô pellitur. Quamquàm ut verum fatear ordinariè longè consultiùs ac salubriùs sit, huiusmodi scrupulos simpliciter contemnere (ut infra dicemus) quàm positivè eis contraniti; eoquòd hæc positiva contranitentia rationem habeat altercationis, quæ caput lædit, ac attenuat.

Dices in articulo mortis Licitum non est sivè negativè sive positivè scrupulis contra agendo resistere; ergo nec extra articulū mortis seu in vita.

Ad hoc sic respondet Sylvester verbô scrupulus: In illo articulo multa faceret homo, quae tamen necesse non est, nec expedit facere in vita; quia homo tandem desperaret, vel fatuus fieret. haec ille. Nihilominus dico cum Laym et aliis, etiam tunc scrupulos contemnendos esse; ac contra eos agendum, quos videlicet neq; justus judex judicaturus est.

hic c. 6. [illegible]

§. 5tus

Proborum virorum imitatio.

Quintum remedium est, ut scrupulosus aliorum proborū hominum exemplū sibi ob oculos ponat, ac persuadeat, eorum viuendi normam suarum actionum esse regulam. Vnde cū incipit dubitare de honestate suae actionis, metuens Deum per eam forsan graviter offensum iri, tunc inspiciat et faciat secundum exemplar proborum virorum.

Notanter dixi graviter offensum iri; nam si fluctuatio